

*A Nasua, qui olim secutus
Te fuit, Arioviste, Teuto.*

Andreas Christmannus in oratione funebri de ortu, vita & obitu JOHANNIS Senioris Nassaviæ Comitis, Gulielmi Autiaci Fratris, anno clōlc VI, habita: *Inlustris, ait, NASSAVIORUM familia a NASUA quodam originem trahit, qui annis LVI. antenatum Christum bello clarus inter Germaniæ fuit proceres. Quibus accedere videtur Johannes Orlerius Genealog. Nass. p. I. his verbis: Hunc Nasuam putant illi adpellationem habuisse a populis Nassovicis, sicut Cimberium a Cimbris: neque est, cur sententia isti fides derogari possit. Præsertim quum a Cimbris maris accolis sint quoque ad Rhenum Comites a Cimmenen, quibus idem cum Regibus Norvagiæ est insigne, leo bipennem gestans. Idem pag. 12. postquam Cæsaris locum recensuisset, ita infert: Ut hinc concludi posset, Inlustrissimam hanc familiam e Germania oriundam, cujus etiam libertatem, quamdiu potuit, fortiter plane est tuta. Vide sis quoque Christiani Brovveri antiq. & annales Trevirorum l. I. p. 113. Johannis Textoris Chron. Nass. p. 35. Philip. Jacob. Speneri op. Herald lib. III. c. XXVI. Hoffmanni Lexic. univers. Tom. II. pag. 172. aliosque complures.*

XIX.

Hæc, quam hætenus executi sumus, Originum NASSAVIÆ a Principibus nobilissimæ inter Germ. Suevorum gentis, Gallorum Romanorumque potentiam infringere, ac horum conatibus resistere ausis, ex Cæsaris monumentis adstructa deductio, uti ad verita-